

gitimam personam standi in judicio habeant,» juncta Glossa fin. et Bartolo ibid. qui tamen hoc intelligunt de sententia definitiva, non de interlocutoria. Concordat textus in c. *Si annum*. § *Si vero*. h. t. in 6. ubi minor quatuordecim annis etiam in causis beneficiabilibus, aliisque spiritualibus, per se ipsum, et absque curatore, in judicio agere, vel descendere prohibetur.

155. *Pupillus absque tutoris auctoritate, non habet legitimam personam standi in judicio.* — Igitur emergente aliqua lite necesse est, ut tutor ipsius pro pupillo agat, ac respondeat: ita tamen, ut si pupillus est ultra septennium, simulque præsens (nam pro absente, vel minore septem annis, semper tutor in judicio stabit) ipse auctoritatem ad hoc suo tutori præstet. Textus est in L. I. et 2. ff. *de Administrat. tutor.* juncta l. II. C. « Qui legitimam personam, » etc. et cit. c. *Sisannum*, h. t. in 6.

156. *Sicut et minorenes absque auctoritate curatoris, non habent legitimam personam standi in judicio.* — Resp. II. Insuper ex defectu ætatis legitimam personam standi in judicio non habent minorenes, seu minores viginti quinque annis, absque auctoritate curatoris; idque procedit tum in civilibus, l. *Cum et minorenes*. C. « Si adversus rem judicatam, » etc. tum in minoribus causis criminalibus, l. *Clarum*. C. *de Auctoritate præstand.* Quo posteriori in loco hujus ratio inter alias redditur, illis verbis: Ne minores alioquin ex sua imperitia, vel juvenili calore aliquid vel dicant, vel taceant, quod si fuisset prolatum, vel non expressum, prodesse eis poterat. » Gailus l. II. *Pract. observat.* 108. n. 1. et seqq. citans Bartolum, Baldum, et alios.

157. *Minori petenti dandus est curator ad litem. Et quid, si hunc nolit petere?* — Unde minori petenti dandus est curator ad litem, qui ejus nomine judicium exerceat, L. I. § fin. ff. *de Minorib.* et l. *Acta*. § fin. *de Re judicat.* Et si minor de industria, atque in fraudem actoris, nolit petere sibi dari curatorem, ut hac ratione judicium non sortiatur effectum (nam contra minores indefensos, vel curatorem non habentes, nulla sententia preferenda est, l. *Acta*. § fin. ff. *de Re judicat.*), tunc judex ad instantiam actoris debet mandare minori, ut intra certum tempus compareat, nominaturus curatorem ad litem. Et si is non compareat, neque curatorem nominet, tunc judex ex officio illum dabit, ne ex mora et contumacia minoris, judicium, magno acto-

ris incommodo, diu maneat in suspensio; ut l. III. § *Si pupillus*. ff. *de Tutel.* et l. I. C. *Qui petant tutor.* vel *curat.*; Maranta, part. IV *Speculi aurei*, distinct. 16, n. 36; Gailus cit. observat. 108. n. 3, allegans alios.

158. *Cum auctoritate curatoris, et tutoris, tum minor, tum pupillus potest stare in judicio.* — Dicitur notanter in data n. 156 conclusione, « absque auctoritate curatoris. » Nam id, quod dici solet, minorem non habere legitimam personam standi in judicio, fallit imprimis, si habeat curatorem, hujusque consensus accedat. Tunc enim non solum minor, verum etiam pupillus, cum auctoritate tutoris vel curatoris, recte in judicio agere, et conveniri potest; textu claro l. II. C. *Qui legitimam personam*. Gailus loc. cit. n. 8. cum aliis.

159. *An minor in causis criminalibus sine curatore possit in judicio stare?* — Et additur cit. n. 56, « in minoribus causis criminalibus. » Nam de his expresse loquitur dicta l. *Clarum*. C. *de Auctorit. præstand.* Alioquin quippe in criminibus minores ætatis suffragio non juvantur: etenim malorum mores non excusat ætatis infirmitas, nisi ex juris ignorantia, vel alias sine dolo delictum acciderit, l. I. C. *Si adversus delictum*. Concordat textus in l. *Si quis te reum*. C. Ad. leg. Cornel. *de Siciariis*: quanquam interdum miseratio ætatis ad mitiorem pœnam infligendam soleat judicem perducere, l. *Auxilium*. § *In delictis*. ff. *de Minorib.* Et quidquid sit de jure, seu dispositione dictæ l. *Clarum*, quod in practica non soleat dari curator minoribus, quando inquiruntur, seu examinantur in criminalibus: ac propterea horum confessio de consuetudine valeat, etiam sine auctoritate curatoris, testatur Julius Clarus lib. V. § fin. quæst. 50. n. 2. et Farinacius, tom. III. *Criminal.* quæst. 81. n. 370. citans alios.

160. *Quid, si impetravit veniam ætatis?* — Fallit insuper data conclusio in casu, quo minor post expletum vigesimum vitæ suæ annum, veniam ætatis impetravit: ut l. *Omnes*. C. « De his qui veniam ætatis. » et l. *Eaque*. C. *de Temporib. in integrum restitut.*

161. *Vel si agatur judicis possessorio?* — Fallit item in judicio possessorio, seu quando agitur de recuperanda, vel retinenda possessione, L. ult. C. *Qui legitimam personam*, etc. juncta Glossa, et Bartolo ibid. et aliis. Nam in judicio possessorio agitur de minori præjudicio, utpote quod, si contingat, in petitorio reparari potest: ac proinde ibi auditur

minor etiam sine auctoritate tutoris, vel curatoris.

162. *Aut sententia pro ipso lata fuit?* — Quin etiam in cæteris causis, quando minor absque auctoritate curatoris, vel pupillus sine interventu tutoris, agere tentavit, etsi sententia contra ipsum lata ipso jure non valeat, l. I et II. C. « Qui legitimam personam, » etc. valet tamen, si pro ipso lata est. Textus est in l. *Non eo minus*. C. *de Procuratorib.* addita illa notabili ratione: « Minoribus enim ætas in damnis subvenire, non in rebus prospere gestis obesse consuevit. »

163. *In causis beneficiabilibus, et spiritualibus, minor potest agere, ac respondere in judicio absque curatore.* — Fallit insuper data n. 156, conclusio in causis beneficiabilibus, aliisque spiritualibus, et dependentibus ab eisdem. Siquidem clericus minorens in causis beneficiabilibus (imo et laicus respectu causarum spiritualium, vel dependentium ab istis, v. g. in causa matrimoniali, vel juris patronatus), si est major quatuordecim annis, vel per se, vel per procuratorem suum, absque alio curatoris interventu, in judicio agere, et respondere potest, non minus, ac si esset major viginti quinque annis; prout est textus expressus in c. *Si annum*. 3. h. t. in 6. juncta Glossa ibid. § *Ac si major*. et concordat quoad causam matrimonialem textus in c. *Ex parte*. 14. *de Restitut. spoliat.* Ex quibus juribus liquet, quod minorens, si est major quatuordecim annis in beneficiabilibus, aliisque spiritualibus causis, habeatur pro majori. Glossa in cit. c. *Ex parte*. § *Quamvis minor*; Barbosa in d. c. *Si annum*. n. 2. h. t. in 6; Flaminius Parisius, l. III. *de Resignatione beneficiorum*. quæst. 7. n. 3. et alii. Quanquam si contigerit, ejusmodi minorem in actibus judicialibus graviter lædi, is non prohibeatur postmodum petere restitutionem in integrum. Barbosa, loc. cit. n. 2, Pirhing, n. t. n. 15, et alii. Alioquin quippe privilegium ipsi concessum, in ejus præjudicium retorqueretur, contra reg. 61 juris in 5.

164. *Atque hoc procedit etiam de laicis minoribus respectu causarum spiritualium, ac dependentium ab eis.* — Atque istud respectu causarum spiritualium, v. g. matrimonialium, et dependentium ab eis, ut est jus patronatus, ac hujusmodi, etiam procedit de laicis natu minoribus, quando sunt puberes, seu decimum quartum ætatis annum exceperunt. Nam textus in cit. c. *Si annum*. h. t.

in 6. generaliter loquitur non solum de beneficiabilibus, sed etiam « de aliis causis spiritualibus, nec non et dependentibus ab eisdem: » non distinguendo, num minor sit clericus, vel laicus. Concordat. c. *Ex parte*. 14. *de Restitut. spoliat.* ubi mulier, quamvis minor, causam matrimonii per procuratorem agebat: ubi Glossa §. *Quamvis minor*. pluribus hoc exequitur. Pirhing, h. t. n. 15.

## § VII.

AN, ET QUALITER RELIGIOSI, AC PRÆLATI, POSSINT AGERE, ET CONVENIRI IN JUDICIO?

165. *Religiosi subditi nequeunt agere, vel conveniri in judicio absque licentia sui prælati.* — Quæritur I. Utrum monachi, alique religiosi, possint agere, et conveniri in judicio? Resp. Regulariter loquendo religiosi subditi nequeunt agere, vel conveniri in judicio, sine licentia sui prælati. Ita Glossa in can. *Non dicatis*. 12. q. 1. §. *Possidere*. Speculator, tit. *de Actore*. n. 28; Navarrus, *Comment.* 2. *de Regularib.* n. 64. et communis aliorum. Idque clare patet ex can. *Monachi a monasterio*. 16. q. 1. cum similibus. Etenim religiosus non est sui juris, cum velle et nolle non habeat, c. *Si religiosus. de Election.* in 6. Nec etiam habet dominium bonorum temporalium, cum propter Deum omnia reliquerit, omneque eorum jus in monasterium transtulerit, c. *In præsentia*. 8. *de Probation.* et can. *Si qua mulier*. 19. q. 3. Unde consequens est, quod nec agere possit sine consensu sui superioris, nec conveniri super iisdem bonis, sed potius conveniendum sit monasterium.

166. *Nisi pro reformatione monasterii accusando prælatum.* — Additur in conclusione, « regulariter loquendo. » Nam imprimis, ne monasterii reformatio valeat retardari, ab ipsomet jure, et non petita alia superioris licentia, permissum est monachis suos prælatos accusare, etiam de bonis monasterii faciendo necessarias expensas litis, c. *Ex parte*. 11. et c. *Olim*. 26. *de Accusation.*; Speculator, cit. n. 48; Navarrus, ubi supra. n. 65.

167. *Aut nisi de licentia abbatis existant extra monasterium in loco remoto.* — Deinde, licet monachi non possint alios accusare, nisi intersit monasterii, atque accedat licentia prælati, cit. c. *Ex parte*. juncta Glossa, §. *Licet alios. de Accusation.*, cum similibus: hoc ipsum tamen limitatur, nisi mo-

nachus de licentia abbatis existat extra monasterium in loco remoto, v. g. in studiis. Tunc enim, si fuerit in contractu læsus, atque injuria lacessitus, potest stare in judicio, et contra alium agere, seque defendere, non petita alia licentia praelati. Ita Glossa fin. cit. c. *Cum dilecta*. 22. de *Rescript.* quare Abbas, ibid. n. 14, reputat singularem, ad hoc, quod religiosus spoliatus possit petere restitutionem in absentia sui superioris; ac postea subjungit datam doctrinam de monacho in studiis existente. Speculator, loc. cit. n. 50; Engel, h. t. n. 4; Sannig, eod. cap. III, n. 7, et alii. Nam ex quo monachus habet licentiam standi extra monasterium in loco remoto, v. g. in studiis, videtur hoc ipso per consequens, saltem tacite, habere licentiam ad accessoria; videlicet faciendi ea, sine quibus ibi commode stare non possit: ut puta, quod causa studiorum possit contractum necessarium inire, et contra lædentes, seu injuriam inferentes agere, seque in judicio defendere; ut c. *Præterea*. 5. et c. *Ex litteris*. 29. de *Offic. delegat.* et l. *Si longius*. § 2. ff. de *Judiciis*. cum similibus.

168. *Vel nisi habeant beneficium de consensu sui superioris.* — Tertio, quando religiosus de consensu sui superioris habet aliquod beneficium; puta prioratum, parochiam, vel aliam administrationem in titulum beneficiarium, saltem manualementem ac revocabilem: tunc super juribus ejus potest per se agere, vel saltem (quod convenientius est juxta cap. un. de *Syndico*) per constitutum a se procuratorem. Desumitur hoc ex c. *Cum deputati*. 16. h. t. ubi præceptores templi, qui fuerunt religiosi quidam in Italia, pro domibus suis agere, et defendere poterant.

169. *Qui præficitur alicui administrationi, obtinet eo ipso facultatem agendi super juribus ejus.* — Ex quo proinde capitulo Abbas, ibid. n. 1, infert pro generali regula, quod eo ipso, quod quis præficitur alicui administrationi, adipiscatur atque obtineat facultatem agendi super juribus ejus, etiamsi administratio illa sit manualis, et ad nutum avocabilis. Concordat textus in Clement. 1. de *Rescript.* juncta Glossa ibid. §. *Liceret*, post Innocentium, et Hostiensem; Navarrus cit. Comment. 2. de *Regularibus*. n. 64. Qui tamen hinc excipit simplicem administrationem, quam habet religiosus sine ullo titulo, etiam manuali: ut si quis prædia, vel villas gubernet mandato sui praelati, atque impensis monasterii.

170. *Religiosus potest agere super juribus spiritualibus, quorum est capax.* — Quarto, potest religiosus injuste gravatus, non petita alia praelati licentia, agere super juribus spiritualibus, quorum est capax: ut super jure manendi in monasterio, vel si inde injuste sese ejectum esse conqueritur, super restitutione in illud; item super jure competente sibi per professionem, vel electionem canonicam factam, ac alio quovis titulo, cujus est capax, arg. c. *Cum dilecta*. 22. de *Rescriptis*, ac notat Glossa fin. et Abbas ibid. n. 13. et amplius Navarrus in d. Comment. 2. de *Regularibus*. n. 64. apud quem plura de his.

171. *Bona ecclesiarum quandoque sunt communia, inter praelatum, et capitulum, seu conventum; quandoque discreta; et quomodo?* — Queritur II. Utrum praelatus, præsertim regularis, possit agere, vel conveniri super rebus ecclesie, aut monasterii, absque consensu capituli, seu conventus; et econtra? Ubi prænotandum cum Abbate in c. *Edoceri*. 21, n. 3, de *Rescriptis*, quod bona ecclesiarum quandoque sint communia inter praelatum et capitulum, seu conventum: et hoc adhuc dupliciter; nam aliqua sunt prorsus communia praelato et conventui; alia vero, licet sint divisa quoad rem (ut quia certa bona sunt deputata pro mensa capituli, seu conventus, et certa pro mensa praelati) non tamen sunt divisa quoad administrationem, sed ea omnia administrat praelatus, ac si bona ex toto essent communia. Quandoque autem bona ecclesiarum sunt omnino discreta, sive inter episcopum et capitulum, vel inter praelatum regularem et conventum, divisa tam quoad rem, quam quoad administrationem: ut quia conventus per se, vel per alium a se deputatum, administrat bona sibi attributa; et idem facit praelatus de suis. Hoc prænotato,

172. *Quando bona ecclesie sunt communia, tunc praelatus, etiam regularis, se solo, et absque consensu capituli, potest de ipsis in judicio stare.* — Resp. I. Quando bona ecclesie sunt communia, sive quoad rem, sive saltem quoad administrationem, tunc praelatus, etiam regularis, se solo, et absque consensu capituli seu conventus, potest de ipsis in judicio agere, et conveniri; dummodo causa non sit ardua, et magni præjudicii. Ita Abbas in cit. c. *Edoceri*. n. 6, et Felinus, ibid. n. 2. et 3. de *Rescriptis*; Speculator, tit. de *Actore*. n. 77; Pirhing, h. t. n. 24; Engel, eod. n. 5. et alii, contra Glossam in d. c. *Edoceri*. §. *Debeant*.

## § VII. AN, ET QUALITER RELIGIOSI, AC PRÆLATI, POSSINT AGERE, ETC. 195

et cap. 1. §. *Legaliter*. de *Procuratoribus*. Quamquam ob hanc Glossæ auctoritatem curia non admittat de facili praelatum ad agendum sine consensu conventus; uti fatetur ipsemet Abbas cit. n. 6. Nisi dicere velis, istud accidere ex eo, quia in curia Romana non præsumuntur tractari negotia, nisi ardua et magni præjudicii, ut proinde ibidem subintret ultima pars datæ conclusionis.

173. *Idque probatur multipliciter.* — Prior pars probatur ex eo, quia habens legitimam administrationem, potest agere sine consensu alterius; ut l. ult. ff. *Quod cujusque universitatis nomin.* et l. *Cum et judices*. § *Quod observari*. C. de *Jurejurand. propt. calumn.* Sed quilibet praelatus habet legitimam administrationem rerum suæ ecclesie, c. *Cum nobis*. 19. § fin. de *Election.* Sicut et abbas habet totam potestatem tam circa cultum divinum, quam circa alias res monasterii sui, can. *Nullum*. 18. q. 2. cum similibus; ergo.

174. *Idque probatur multipliciter.* — Accedit, quod procurator generaliter ad negotia constitutus, possit agere, atque experiri in judicio, absque alio speciali mandato; nisi casus sit de specialiter exceptis, c. *Qui generaliter*. § 1. de *Procuratoribus*. in 6. Idem ergo, et quidem a fortiori, dicendum est de praelato respectu rerum suæ ecclesie, seu monasterii (dummodo excipiantur causæ arduæ, et magni præjudicii), cum is non sit simplex procurator, sed habeat titulum honorabilem, et dignitatem, imo et liberam ac generalem administrationem in bonis ecclesie, juxta Glossam magnam in can. *Quia episcopus*. 5. q. 3.

175. *Dummodo causa non sit ardua et magni præjudicii.* — Altera pars probatur ex c. *Humilis*. 17. de *Majorit. et obed.* et c. *Novit*. 4. et c. *Quanto*. 5. de *his quæ fiunt a praelat.* Ex quibus juribus desumitur generalis regula, quod in arduis praelatus nihil debet agere sine consensu capituli. Unde etiam episcopus non potest possessiones ecclesie minus utiles alienare pro utilioribus, nisi de consensu capituli; c. *Ut super*. 8. de *Rebus eccles. non alienand.*

176. *Est tamen in his attendenda specialis ecclesiarum consuetudo.* — Atque in hoc sensu potest intelligi, cap. 1. de *Procuratoribus*. quod videlicet procedat in arduis; ut notat Abbas loc. cit. n. 6. et Speculator, tit. de *Actore*. n. 67. ubi tamen recte addit, quod in his etiam attendenda sit specialis ecclesiarum

consuetudo. Nam quod consuetudine induci possit, ut praelatus solus non possit agere super his, quæ pertinent ad conventum, seu capitulum, patet ex c. *Cum Ecclesia Vulturana*. 31. de *Elect.* et c. *Irrefragabili*. § *Excessus de Offic. ordin.* et c. *Cum contingat*. 13. de *Foro compet.* cum similibus, ac late tradit Federicus de Senis, consil. 100.

177. *De bonis communibus capitulum, seu conventus, nunquam potest agere sine consensu praelati.* — Resp. II. Nihilominus capitulum seu conventus ecclesie tum regularis, tum secularis, nunquam potest agere, nec in judicio respondere de bonis, seu causis omnibus, absque consensu praelati. Ita Felinus in c. *Edoceri*, n. 4. de *Rescript.* et Abbas, ibid. n. 7. ac rursus in c. *Causam quæ*. 9. h. t. ubi Glossa un. et Barbosa n. 3, citans alios. Et merito, nam praelati ex officio suo tenentur congregationum suarum negotia procurare, et non econtra cit. c. *Edoceri*. § fin. de *Rescript.* et can. *Nullam*. 18. q. 3. Idipsum probatur ex c. *Causam quæ*. 9. h. t., ubi papa respondet, quod fratres Dulmensis monasterii contra monachos S. Albani non aliter sint permittendi ingredi negotium, sive causam judicariam, nisi « cum auctoritate et assensu episcopi sui » (qui simul fuerat abbas dicti monasterii; ut patet ex littera sequenti, ac notat Abbas ibid. n. 8). Idque ex ea ratione: « Ne, si fratres S. Albani obtineant, episcopus idem, abbatem monasterii se proponens, litem sopitam valeat suscitare. » Hæc enim ratio non subsisteret, si conventus absque assensu praelati super rebus communibus in judicio agere posset.

178. *Nisi quando vult agere pro male alienatis per praelatum.* — Limita tamen datam conclusionem in casu notabili, videlicet quando conventus solus vult agere pro rebus male alienatis per praelatum. Nam si praelatus, qui nunc est, male alienavit, ac repetere negligit, vel si ejus successor est negligens in recuperando, potest conventus solus agere pro recuperatione male alienatorum, etiam absque consensu praelati. Idque probatur per textum notabilem in c. *Si quis presbyterorum. de Rebus eccles. non alienand.* ubi cuilibet clerico conceditur, ut possit contradicere alienationi rerum ecclesiasticarum, easque male alienatas cum fructibus repetere: multo magis igitur id poterit totus conventus contra suum praelatum. Abbas in cit. c. *Edoceri*. n. 7. de *Rescript.* et Felinus ibid. n. 4. et alii.

179. *Possunt tamen gesta per solum capitulum postea ratificari a praelato, si ita expedire viderit.* — Insuper est notandum, quod gesta per solum capitulum, sive conventum, possint postmodum ratificari a praelato, si ita ecclesiae, seu monasterio expedire viderit: unde si conventus egit in iudicio absque consensu praelati, et causam obtinuit, potest sententia in ejus favorem lata ratificari a praelato per subsequentem consensum. Glossa in d. c. *Edoceri*. §. *Debeant*; et Abbas, ibid. n. 12, et Felinus, n. 8. *de Rescript.*; et Pirhing, h. t. n. 28, et alii. Idque probatur ex can. *Si qua de rebus*. 12. q. 2. ubi alienationem factam per capitulum, etiam sede vacante, potest episcopus postea creatus ratam habere, si expedierit Ecclesiae. Concordat c. *Cum non jam pridem*. 3, *de His quae sunt a praelat.* etc. ubi dicitur, quod defectus consensus per subsequentem ratihabitionem possit suppleri.

180. *De bonis omnino discretis potest capitulum, seu conventus, agere sine ulteriori consensu praelati.* — Resp. III. Loquendo nunc de bonis omnino discretis, seu quae inter praelatum et conventum tam quoad rem, quam quoad administrationem sunt divisa, dicendum est, quod de his capitulum, sive conventus possit agere, ac respondere in iudicio, non requisito ulteriori consensu praelati, nisi causa foret ardua, magnique praedicti. Ita Abbas in cit. c. *Edoceri*. n. 5; et Felinus, ibid. n. 3. §. *Amplia etiam, de Rescript.*; Pirhing, n. 26. et alii. Nam regula est, quod habens legitimam administrationem, possit agere sine consensu alterius; ut post Innocentium loquitur Abbas, loc. cit. n. 6. ad hoc allegans L. ult. ff. *Quod cujusque universit. nomin.* Atqui circa bona omnino discreta, capitulum seu conventus habet legitimam administrationem; alioquin enim illa non essent quoad administrationem divisa; ergo.

181. *Nisi causa foret ardua, magnique praedicti.* — Additur notanter, « nisi causa foret gravis, » etc. Quia in arduis negotiis, sicut praelatus nihil potest agere sine consensu capituli, seu conventus, haud obstante, quod ipse sit caput, ac de jure habeat administrationem: ita multo magis capitulum, seu conventus, in causa ardua non potest agere sine consensu praelati, haud obstante administratione sibi caeteroquin concessa. Istud enim exigit communio atque unitas corporis mystici, quae est inter praelatum et capitulum, sive conventum; cit. c. *Novit*. 4. *de His*

*quae sunt a praelatis, et c. Requisivisti*. 15. *de Testament.*

182. *Ille non potest agere, qui non potest rem alienare, an, et quando verificetur?* — Dices: Ille non potest agere in iudicio super re aliqua, qui non potest hanc alienare; ut l. *Ait praetor*, ff. *de Jure deliberand.* ibi: « Est enim absurdum ei, cui alienatio interdicitur, permitti actiones exercere. » Atqui conventus nequit alienare sine consensu praelati, imo nec praelatus sine ejus consensu, ergo nec agere. Resp. majorem non esse indistincte veram, ut inquit Abbas in cit. c. *Edoceri*, 6. *de Rescript.*; nam procurator simplex potest agere in iudicio, c. *Qui generaliter, de Procuratorib.* in 6. et tamen non potest alienare, nisi habeat liberam administrationem, l. *Procurator tutorum*. ff. eod. Similiter pater super bonis adventitiis filii agere potest, et tamen non potest alienare, l. *Cum non solum*. C. *de Bonis quae liberis*, etc. et L. I. *de Bonis maternis*. Unde dicendum, quod is, qui non potest alienare, nec etiam possit agere nomine proprio, *De bonis* ut est casus in cit. l. *Ait praetor*. Secus, si agat nomine alieno: prout praelatus vel conventus circa bona omnino discreta, agit nomine Ecclesiae, seu monasterii. (ADNOTATIO XXX.)

183. *In causis civilibus non est conveniendus religiosus, sed monasterium.* — Queritur III. Utrum habens actionem contra religiosum, debeat ipsum convenire, vel potius monasterium ejus? Resp. I. In causis civilibus non est conveniendus religiosus, sed monasterium ipsius. Ita Glossa in can. *de Persona*. 11. q. 1. §. *Aut monachum*; et archidiaconus ibid. n. 6; Speculator tit. *de Reo*. n. 19. et alii. Ratio est clara: quia monachus, aut religiosus solemniter professus, nihil habet proprium, can. *Non dicatis*. 12. q. 1. sed quidquid acquirit, puta ratione successionis ab intestato, aut hujusmodi, acquirit monasterio; Auth. *Ingressi*. C. *Episcop. et cleric.* et can. *Quia ingredientibus*, 19. q. 3. et c. *Quanto*. 7. *de Offic. ordinar.* et c. *Cum ad monasterium*. 6. *de Statu monach.* ergo in causis civilibus non ipse, sed monasterium conveniri poterit, ac debet.

184. *Secus in causis criminalibus, seu quando convenitur religiosus ex delicto.* — Resp. II. Nihilominus in causa criminali, sive ex delicto, convenitur ipse religiosus, non vero monasterium. Ita archidiaconus cit. n. 8. Joan. Andreas in c. *Mulieres*. n. 2. h. t. in 6. post Innocentium c. *Cum olim*. li. 6. II. *de Privileg.*

Speculator, ubi supra, id limitans, dummodo non agatur contra monachum quoad pœnam pecuniariam eo quod proprio careat; et alii. Desumitur hoc ex c. *Dilectus filius*, A. 3. *de Simonia*, ubi contra religiosos, qui labe simoniae fuerunt maculati, accusatio potest canonice institui. Accedit ratio: quia hoc ipsum videtur exigere sanctitas locorum sacrorum, sive monasteriorum: quae proin ex delicto monachi non tenentur, nisi forsitan aliquid ad ipsa inde pervenisset, aut in eorumdem utilitatem conversum fuisset, c. *Quod quibusdam, de Fidejussorib.* Unde ex delicto, seu hæretica doctrina Joachim abbatis, nullatenus tenetur monasterium Florense, c. *Damnatus*. § *In nullo de summa Trinitat.* Nam, ut habet reg. 76 juris in 6, « Delictum personae non debet in detrimentum ecclesiae redundare. »

## § VIII.

## RESOLVUNTUR ALIÆ NOTABILES QUÆSTIONES CIRCA MATERIAM PRÆSENTIS TITULI.

185. *Acta iudicii, et acta causae, quid et in quo differant?* — Queritur I. Utrum acta unius iudicii habeant suum effectum, fidemque faciant in alio? Ubi praenotandum cum Glossa in Clement. *Sæpe contingit*. §. *Defensiones, de Verb. signif.*; Abbate in c. *Venerabilis*. n. 14. h. t.; Bartolo in l. *Isapud quem*. § *Secundo casu*. C. *de Edendo*; Maranta in *Speculo aureo* part. V. n. 53. et aliis, quod alia sint acta iudicii, alia vero acta causae, seu litis. Acta iudicii dicuntur illa, quae respiciunt, seu concernunt ordinationem iudicii: ut sunt libellus, litis contestatio, terminus peremptorius, satisfactio, et alii similes actus iudiciales, qui tendunt ad ordinandum processum iudicium, ejusque solemnitates observandas. Acta causae econtra vocantur illa, quae concernunt indagacionem veritatis, justamque litis decisionem respiciunt: prout sunt depositiones testium, instrumenta, confessiones, et alia hujusmodi acta probatoria, utpote quae tendunt, atque ordinantur ad justam decisionem litis. Quo praenotato,

186. *Perempta instantia, pereunt acta iudicii.* — Resp. I. Perempta instantia, pereunt acta iudicii, sicut non habent suum effectum in alia instantia. Ita Abbas cit. n. 14. post Innocentium in c. *Causam quae, de Testib.*; Bartolus, ubi supra Jason l. *Is apud quem*. n. 19. C. *de Edendo*; Maranta cit. n. 53. et alii.

Idque desumitur ex l. *Cum lite mortua*. ff. *Judicatum solvi*: ubi dicitur, quod « lite mortua (seu perempta instantia per lapsum triennii, aut absolutionem ab ejus observantia), nulla res sit: » sicut non valent prima acta, ut inquit Glossa un. ibid. allegans ad hoc etiam l. *Properandum*. § 1. C. *de Judiciis*.

187. *Acta causae in uno iudicio fidem faciunt in alio.* — Resp. II. Acta causae, seu acta probatoria coram legitimo iudice in uno iudicio, fidem faciunt in alio iudicio, quando inter easdem personas, atque in ordine ad eundem effectum producuntur: dummodo non varietur modus agendi. Ita Abbas in c. *At si clerici*. n. 12. h. t. et amplius in c. *Causam quae*. n. 1. et seqq. *de Testibus*; Gailus lib. I. *Practice*. observat. 103. n. 1. et seqq.; Pirhing h. t. n. 96. post decium in d. c. *At si clerici*. n. 15. et Alexandrum de Nevo ibid. n. 33; San-nig h. t. cap. v. n. 3. et alii. Idemque desumitur tum ex cit. c. *Causam quae* 11. *de Testib.* ubi attestaciones in uno iudicio receptae, faciunt fidem in eadem causa, et inter easdem personas coram alio iudice; tum etiam ex cap. II. *de Exceptionib.* in 6. ubi Summarium habet, quod « exceptio rei iudicatae per ecclesiasticum iudicem admitti debet in foro saeculari, et econverso. » Hoc enim non procederet, nisi acta causae in uno iudicio, fidem facerent in alio; saltem quando inter easdem personas, et ad eundem effectum producuntur.

188. *Quando inter easdem personas.* — Additur notanter, « quando inter easdem personas, » etc. Alioquin enim, sicut res inter alios iudicata aliis non nocet, L. I. et seqq. C. *Quibus res iudicata non nocet*: ita nec acta causae inter certas personas praedictant aliis, dummodo hi non mandaverint, nec acta illa ratificaverint; prout limitatur in cit. L. I. C. *Quibus res iudicat.* et dummodo vae plures personae non nabeantur loco unius. Bartolus cit. l. *Is apud quem*. § *Quandoque*. C. *de Edendo*, id probans ex l. *Haeredes*. ff. *Familiae heriscundae*. Quanquam per hoc non negetur, quod ejusmodi acta probatoria, etiam inter personas alias producta, aliqualem praesumptionem faciant, licet non plenam fidem, Abbas d. c. *Causam quae*, n. 4. *de Testib.* et Bartolus l. *A sententia*. ff. *de Appelat.* et favet textus in l. *Si duo patroni*. § 1. ff. *de Jurejurand.*

189. *Atque in ordine ad eundem effectum producuntur.* — Additur ulterius, « et ad eundem effectum, » etc. Prout v. g. testes in